

# E P I T O M E.

**X**V-virum, qui ad X-viros adscribabantur, magistratus, re magnis contentionibus agitata, est abrogatus. Kalendarium emendatum, annusque instauratus nova Gregorii XIII. constitutione, cui tamen ne parerent Graecae Venetorum insulae, Senatus impetravit. Amurathe in Persicum bellum verso, cum Florentini & Melitenses Equites libere toto mari piraticam facerent, borum galeonem Contarenus cepit. Ad Aquilejense negotium Pontifex redierat, cum, illo intermesso, ad Christianorum in Turcas arma concitanda curam omnem vertit, Latinumque Ursinum bac de re Venetas misit. Melitensium insolentiam, quatuor eorum triremibus captis, Philippus Paschalicus repressit. Eadem a Pontifice iterum de negotio Aquilejensi jactata: novae cum Florentinis ac Melitensibus ob maritimas excusione discordiae exortae. Japoniorum Regum ad Pontificem legati Roma discedentes, Venetas accessere. Sub id tempus Gregorius XIII. mortuus est, ejusque in locum Xystus V. suffectus. Res Aquilejensis hoc Pontifice composita, omnisque simultatum materia sublata est. Qui rerum suarum status esset, Galliae Rex Henricus Senatus significavit. Nicolo Pontio Principi, qui e vivis excesserat, Paschalis Ciconia subrogatus. In Ludovicum Ursinum, interclusa laqueo anima, ob enorme facinus animadversum est. Centum aureorum millia Galliae Regi senatus consulto Patres mutua dedere. Varii bellorum civilium in Gallia eventus, Hispanorumque contra Anglos conatus narrantur. Quod Henrico III. a Gallo post alterius Henrici mortem Regi salutato Senatus gratulatus erat, Xystus conquestus est, ejusque Nuncius, Messio oratori Principis convenienti copia facta, Venetiis discessit; qui tamen redire a Pontifice jussus est. Respublica Henrico nibilominus favit, a quo alienus Pontificis aliorumque Italorum Principum animus.